

DEO JUVANTE;

Consensu

AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

In Regia ad Auram Academia,

Sub

PRÆSIDIO FRATERNO,

M. GABRIEL

JUSLENI,

Log. & Metaph. Prof. Ord.

DISSERTATIONE

PRO GRADU MAGISTERII,

vi. Calend. Octobr. A. MDCCIII.

Hora 8 antemeridiana, in Auditorio Maximo,

Dabitur

VINDICIAS

FENNORUM.

DANIEL D. JUSLENIUS,

Borea-Fennus.

Impr. apud Jo. WALL. 1703.

IN
DEUM

ET
REGEM

Magnæ Fidei VIR,

REVERENDISSIME IN CHRISTO

PATER AC DOMINE,

DN. JOHANNES
GEZELI,

S. S. Theologiæ DOCTOR

Consummatissime,

Dioecesis Aboënsis EPISCOPUS

Eminentissime,

Regiæ Academiæ PRO-CANCELLARIUS

Magnificentissime,

DOMINE Longè Benignissime!

Meditanti mihi, REVERENDISSIME IN CHRISTO
PATER, Magni Tui Nominis inscriptionem
his pagellis præfigendam, omnem fere spem
successus eripuit recordatio responsi dati ab Imperatore,
se post multos salutanti corvo: eoque magis,

gis, quod ego *videar argutos interstrepere anser
olores*: qui & ipsi, ne sua frequentia sint minus ac-
cepti, merito timerent. Sed & me & illos erigit,
quod *Summi cujusque bonitas commune est per-
fugium omnium*. Laudatissima TUA bonitas &
gratia, DN. EMINENTISSIME, commune perfugium
& nostratibus est & advenis, & mihi maxime,
cui, ut eam quotidie experiri liceat, mitia conces-
sere fata. TE, EPISCOPE MAGNIFICENTISSIME, *So-
lem terra* nomine probas, Fenningia suum re ipsa
esse gratulatur, gaudet Svecia penes se ortum, plu-
ribus communem admirantur exteri. Magnum
hoc Fennis laudis incrementum, quod eos, PA-
TRONE nostræ gentis BENIGNISSIME, TUA luce non
ducas indignos, sed favens ostendas, populis aliis
haud illos inferiores. Hos TUÆ, PROTECTOR GRA-
TIOSE, tutelæ ulterius commendo, humilimisque
& submissis contendo precibus, ne, cum nationi
toti indulgeas, me partem ejus minimam asper-
neris, simul cum communi voventem ore, ut diu,
cum familia, nobilitate & virtutum familiaritate
illustri, oculum illum universi in TUA Diœcesi in-
occiduum, nobis innociduum imitere, sic uti meri-
torum magnitudine fama TE dudum fecit in occi-
duum, & interea propensissima benignitate aspicere
digneris,

REVERENDISSIME IN CHRISTO PATER,
DN. EPISCOPE EMINENTISSIME,
TUUM

Servum humilimum ac devotum
Dan. Juslenium

*Summe Reverende atque Amplif-
sime Domine,*

DN. DAVID
Bund/

S.S. Theol. Doctor & Professor
Laudatissime,

Consistorii tam Academici quam Ec-
clesiastici Assessor Gravissime,
Svecanæ Ecclesiæ Aboënsis, & adja-
centis Nummenfis Pastor longè
meritissime.

Patrone Magne!

Non vereor ne succenseatis, Domini summe
& Maxime Reverendi, cum vilis has pretii
lineas Amplissimis Vestris Dignitatibus te-
merarius offero; licet id svadere videatur & ope-
ris impolitia & tenuitas scriptoris: sunt enim cau-
sa longe majores, quæ confidentiam animo in-
sinuant, & in proposito pergere jubent, *Vestra,*
Patroni, gratia, debitum meum, operisque ratio.
Hæc Fennorum laudabilem indolem & ingenia tra-
ctans

*Maxime Reverende & Praclaris-
sime Domine,*

DN. M. ISAACE

Bihlmann/

Sacrꝫ L. L. Professor Ord. Cele-
berrime,

Utriusque Consistorii Assessor
Æquissime,

Fennici cœtus Urbici Pastor
multo digniss-
me,

Mæcenas Propensissime!

Stans, argumentum suæ veritatis non invenit pro-
pius & celebrius, quam si ad *Vestras, Domini lon-
ge Celeberrimi*, cum naturæ tam industriæ dotes,
ut exemplum evidentissimum recurreret. Illa me-
is nequit decantari verbis, siquidem majorem re-
quiro facundiam; quia tamen gratia est, con-
tentam humilime & spero & oro etiam paucis no-
minari a plurium impote: paucissimis veneraban-
dus nomino saltem illam benignitatem, quam ex
que-

quotidiana *Tua*, *summe Reverende Dn. Doctor*, & domestica informatione ante biennium comperi, præteriens reliqua, temporis ejus & aliorum, *laudatissimi favoris documenta*, æque paucis humilissime recordari juvat, *Professor Maxime Reverende*, curam istam non paterna minorem, quam in formandis pueritiæ meæ annis adhibitam, nec deinde intermissam, plurimis auxisti beneficiis, iisque summis. Tantum ex his promanat debitum, ut si eo me exsolvere animum adjicerem, ingratus essem. quo magis hoc quidcunque instituti, non ut munus, absit ea arrogantia! sed ut fructus ejus rei, quæ tota *Vestra* est, *Vobis Mæcenates Maximi*, competit, confido humilima mente, id a benevolentia *Vestra* celebrata & insigni non repudiarum iri, mansurus donec in vivis ero,

Domini Summe & maxime Reverendi,
Vobis

Ad servitiis humilima paratissimus

Den. Jællinius

DIRIGENTE JESU!



*I non nobis solum nati sumus, sed ortus nostri partem sibi patria, partem parentes vindicant, partem amici (a); Ita vita nostra, actionesque ex ea pendentes conformandæ non nostro solum commodo, sed eorum etiam utilitati, qui, ut vivere & sic agere possimus, dedere. Vivimus Summi Numinis gratia (β), Parentum ope & benignitate (γ), Patriæ ejusque Rectoris tutela & auxilio (δ). His gratum debemus affectum, operas nostras, totos denique nosmet ipsos (ε). Hinc summus rerum Arbiter voluntati suæ homines obtemperare jussit (ζ): dilectionem requirit proximi (η): inter hos eminentes parentes & cognati (θ); quod proverbio affirmant nostrates: *Ei nijñ wettā safia-**

A

ta/

(a) Cic. Off. L. 1. (β) Ps. 119. v. 73. Ps. 139. v. 14, 15, 16. Job. 10. v. 11. (γ) Syr. 7, v. 29, 30. Puff: Off: Hom: Civ. L. 2. c. 3. §. 2. (δ) 1. Tim. 2. v. 2. (ε) Ex: 20. v. 6. Cic. Off. L. 1. Val. Max. L. 5. c. 4. § 65. Puff. Off. L. 2. c. 3. Ricard: Cummerland de leg. nat. c. 1. §. 24. (ζ) 1. Sam: 15. v. 22. Deut. 4, v. 2. c. 10, v. 12. c. 12. v. 32. (η) Mat: 22, 39. 1. Joh. 4, 7. (θ) Ex: 20, 12. Cic. Off. L.

ta / ettei veri fatiambi/ i. e. non tam crassa
 aqua, quin sanguis crassior, qui nobis ab illis
 datus, cum his communis. Illorum nu-
 mero non eximendus Patriæ Augustissi-
 mus Pater, cujus sub umbone vivimus, &
 communis Mater Patria, suis, illo prote-
 gente, gaudens laudibus & bonis. Hanc
 perpendenti mihi obligationem, non alia
 commodior via patuit, desiderium me-
 um eidem parendi publice declarare,
 quam exercitio Academico, mihi in libe-
 ralibus pergenti studiis ab iis mandato,
 quibus semper obsequi æquum est, gen-
 tem nostram, quantum tenues concedunt
 vires, ab inique loquentium injuriis vin-
 dicare. Duplicem hujus instituti habeo
 rationem: primo quidem, dudum animo
 fixum illud Poëtæ (1)

Quod pius est, patriæ facta referre, labor.

Quamobrem etiam ante triennium tenues
 licet, bonis tamen placitos labores, in pa-
 triæ honorem cecepi de Aboa, eosque
 continuare necessitate quasi cogor, ni
 audire velim eum qui non defendit, nec
 obsistit si potest injuriæ, tam esse in vitio,
 quam si parentes aut amicos aut patriam
 de-

(1) Ov. Trist. L. 2. v. 322.

deserat (u): cum, quod secundo me mover, multos observare licuerit, fictis causis, patriæ & gentis nostræ detrahere volentes famæ & existimationi, quæ bonis cæteris merito præfertur (λ), utpote proximus virtutis effectus & comes assiduus. Idque dolemus fieri, non ab iis solum, qui *peregrinorum sunt hostes, & contemtores omnium aliarum nationum* (μ), qui jam Alexandri Macedonis tempore *nihil metuebant præter cælum aliquando ruiturum* (ν), & adhuc forte ejusdem essent sententiæ, ni læpe docuissent eos despecti ab ipsis nostrates timere: quod non mirum usque adeo, cum suum cuique pulcrum, & ut ajunt nostri: *Omnia cunq̄in caunit owat/ mustat muiden wal-
fiatfin.* id est: *proprium cuique amœnum est, alba etiam aliorum atra sunt.* Sed magis id fieri dolemus a quibusdam quoque nostratium, qui illorum dictis & scriptis seducti, istorum arrogantia suarumque virtutum sunt obliti. Quam autem vera proferant, quamque valida sint suarum assertionum fundamenta, breviter in sequen-

queno

(u) *Cic. off. L. 1.* (λ) *ll. all.* (μ) *vid memoires de Suede de Linage Vauciennes Tim. 1. p. 204.*

(ν) *Curt: Suppl. L. 2.*

quentibus dispiciemus, idque DEI Optimi
Maximi auxilio, nam hincâ jocosa Ju-
mala/ JESUS carnis eumpanina/ id est:
Bonus in societate DEUS, comes jucundus
JESUS. proinde aget

CAPUT PRIMUM,

DE GENIO SOLI FENNICI.

§. I.

Mitissima mater natura, cum varia
variis mundi partibus dona, juxta
cujusque indigentiam concessisset,
nec novercali animo in nostram oram
sævire sustinuit, sed & nobis reclusum
offert cornu suum copix & gremium
ubertatis pandit, quod suavissimis & sala-
berrimis repletum fructibus, ut indulgens
proli genetrix, delicatioribus primum aper-
tit naris, ut palato si suaviora eligant, &
puerilem jucundis satient appetitum, ro-
bustioribus filiis, non tam oblectamentis,
quam necessario gaudentibus alimento &
firmo, relicta minus quidem svaavia, me-
liora tamen & magis salutaria tradit; osten-
dens perfectorum esse solidum cibum, eo-
rum qui consuetudine exercitatos habent
sensus ad discretionem boni ac mali (a). Sed

nes

(a) Hebr. g. v. 4.

nec jucunda nobis defunt, si iis uti vo-
 lupte fuerit. Gaudeat suis India gemmis:
 aureos America thesauros explicet: vesca-
 tur Oryza Persa: Arabs aromaribus luxu-
 riet: expleat se vino Italus: citrum Hispa-
 nus ostendet: commercia Belga laudet: ja-
 ctet artes suas Germanus: vestiatur lino
 Polonus: sint suæ Moscovitis pelles: nostræ
 nobis sufficiunt fruges, pisces, lana, saxa,
 sylvæ, ferrum, & quæ alia vitæ susten-
 tandæ sunt media. recte Fenningia nostra
 de se pronunciat: *Masta minâ nuider
 nähden/ waltia oman emännän/* id est
miser ego aliis, candidus proprie uxori videor.
 utinam his ita contenti viveremus, ut sibi
 satis his esse natura voluit.

§. 2. Istis fundamenti loco substratis,
 addamus excellentium virorum *testima-
 nia*; quorum agmen ducet ut Generosissi-
 mus, ita nostrarum rerum peritissimus
 summæq; fidei DN. MICHAEL Gyldenstolpe/
 ita Fenningiæ fertilitatem describens (a):
*Tanta profecto hic glebe ubertate, tantæq; solis effi-
 cacia, quantam inexperius dixi unquam credet,
 ex una tonna quindocim terram reddere: (imo
 quod mirere, salva veritate addere audeo,*

in

(a) Desc. Svec. L. 1. c. 22. confer: Ol. Magn. L. 12. c. 5.

in mediterraneis nostris divina benedictione id sæpe evenire. quod ipsa veritas (β) dicit: *semen in terram bonam lapsum ferre fructum aliud centuplum, aliud sexagecuplum, aliud trigeuplum*, sed tantum in sylvis exultis, nobis *Hulta/ Svecis (Svedie dictis) Venationes, aucupia & piscatura sunt abundantissima, unde quotannis immensa salitorum piscium copia in Sveciam lucrose divenditur. Pinus, abietes, betule, juniperi, ingentes passim sylvas faciunt. Fagus nulla, quercus rara, sunt tamen hic in maritimis; ubi sorbi, pomi, coryli, fructices S. Johannis & similes; porrum, allium, rose, varisq; herbe injusse succrescunt. Verba sincera, omni exceptione majora. ANDRÆ BURÆO celeberrimo quoque viro (γ), Finlandia regio dicitur frugibus, pecudibus, jumentis, piscatione, aliisque ad humanam sustentationem necessariis dives. Amplum item testimonium & verissimum. Brevitatis gratia supersedeo afferre plura patriæ nostræ elogia, passim in auctoribus tam domesticis quam exoticis obvia (δ).*

(β) *Matt. 13. 8. (γ) Descript. Sv. p. m. 54. edit. Lugd. Elzev: (δ) vid Laur. Paul. Goth. L. 1. c. 26. Ol. Magn. L. 11. c. 14. Mart. Zeill. descr. Sv. p. 29. Cluv. Geogr. L. 3. c. 21. Geogr. de la croix part. 2.*

§. 3. His jam dictis qui adversantur, tam testimonia quam rationes oppugnare satagunt: illa quidem, auctoritatem tum contrariam asserendo, tum nostrorum imminuendo. prius se assecutos censent gravissimi scriptoris Taciti verbis (ε) dicentis: *Fennis miram esse feritatem, fœdam paupertatem, non arma, non equos, non penates: victui herbam, vestitui pelles, cubile humum.* Verum multa hic nobis responsio parata est. Primo quidem, quod ad objectam feritatem, alii loco (ζ) reservamus: deinde autem dico deceptum esse Tacitum, cum Fennis ea applicuerit, quæ forte per famam obscuram Fennorum portioni Lappis quadantenus convenientia audiverat (η). porro, mentem ejus non fuisse aliquid terræ fertilitati derogare, probant sequentia ejusdem (θ): *id beatius arbitrantur, quam ingemere agris, illaborare domibus.* addo: licet qualem volunt contrarium tuentes, fu-

ecit

e 8. *Cosm. Munst. L. 4. c. 34.* Joh. Frid. Pfeffinger *Geogr. Curios. L. 6. c. 5.* Le grand *diction. Hist. de Louis Moreri en la mot Finlande.*

(ε) *Lib. de Germ. ultimis* (ζ) *infra c. 3.*

§. 4. (η) *Mich. Wex: Syld: DiserSve. c. L. 4.*

2. (θ) *ibidem*

erit mens Rotnani, licet & alius (1) quis idem fenserit, nihili eorum essent verba & fides comparata viris modo a me nominatis: cum potius, ultimo, quilibet nostræ terræ ignarus hæc in illam quadrare videat tam apte, ac si ignem humectare affirmares (x).

§. 4. Adductas pro nobis gravissimorum virorum *sententias* etiam plurimis affligunt modis: & exteros ignaros nostri orbis, quæ a nobis acceperint, scripsisse, & domesticos affectui indulgentes veris ficta addidisse. Sed non attendunt hi, eadem de omnibus omnium gentium historiis posse dici, talique ratione in omnibus vel ignari vel seducti nihil certi statuere-mus: quod si quis concedere velit, omnem e societate humana fidem relegabit. Si vero alicui narrationi credendum, arbitror, *magis credi oportere ipsi genti & vicinis, quam remotis atque externis* (λ). *& si contenderent, nulli scriptori, res patrias describenti, fidem habendam esse; sed narrationes ad suæ gentis gloriam facientes in dubium vocandas, hoc quam*

ab.

(1) *Winfemius Orat. metr. paneg. ad Gnst. Ad.*
 (x) *Confer. Wex. desc. L. 6. c. 50 (λ) Wex. desc. 3v. L. 2. c. 2. ex Myrsillo,*

absurdum esset quis non videt (μ). Non ergo nobis denegandum, quod conceditur aliis; jam autem testes nostri duo illi cum honore nominati maximi, facile a suarum virtutum gnaris ab omni suspitione liberantur, nulla defensione indigentes. In scitis vero, qui fuerint, aperiendum. Prior Svecus nativitate & educatione, Fennus mansione & officio. Illud assentationis & voluntariæ falsitatis excusat, cum nulla causa præter veritatis studium Svecum impellat de Fennis ad bene loquendum: hoc, in viro præclaro ignorantiam negat, & omnia experto. De posteriori & aliis ejus nationis, passim in hisce pagellis citandis, eadem dicenda, præterquam quod hic non habitaverint, sed tamen optime etiam hujus terræ genium observaverint. exteris aut nihil credendum, cum clari alias inter illos viri, sæpe eo dementiæ delapsi sint, ad ulteriorem scientiæ suæ gloriam captandam, ut pro veris emittant, quæ nec minimum intelligunt, ut acci-

B

dit

(μ) Buxt: de punct: Ebr. p. 322. Wafrenut in vind. part. 1. c. 2. Sect. 1. Th. 1. §. 1. confer quoque Euseb. præp. Evang. L. 9. c. 7. Sold. de jure nat: & gent: adde sis Aboram C. 3 §. 29, 30.

dit ei (v) qui satis confidenter statuit, voces Fennicas *Leipä* & *welgolistent* in oratione Dominica occurrentes, ex Germanicis *lieb* & *wolgelüsten* derivari; quod infantes nostrates rident; & quibusdam aliis inferius forte observandis: aut eatenus tantum ipsis credendum, quod vel a nostris hauserint, vel certis documentis probaverint ita ipsos deprehendisse.

§. 5. Censent adhuc adversarii, multis *se rationibus* instructos, nobis obviam ire posse; primamque petunt, ex *nimio frigore, brevitate aestatis, radiis obliquis* & minus validis; probantes ea vicinia *Zonæ frigidæ*, imo intra quam pars magni Ducatus nostri jacet: non plene 5 mensium in meridionalibus, nec ultra trium in aquilonaribus, calore: diuturna nivis & gelu mora, ac festinante eorundem recurso. Unde fruges nullas maturescere posse concludunt, cum fero serantur, & ante messem frigore exurantur. Ego vero, hic missis argumentis aliis, nunc experientiam testor. non solum maturitatem suam fruges attingere, sed matura etiam semine prima, aliam
luc-

(v) Pontano in descr. Dan, p. 705. a Generosiss. Wex: Gylde: notato descr. Sv. L. 3. C. 12.

succevisse quadantenus, ante ingruentem hyemem nutrimento aptam. Agricolas nostros roges, & id factum A. 1698. pleno ore ubique asserent. quotannis alias fœnum plurimis in locis bis defecatur, & si siccus est autumnus, ferme omnes ea commoditate utuntur. Sane tantum hic æstate, experiere calorem, quod frumentum, aliquando 6. septimanis post sementem, in Bothnia præsertim, bene coctum, integerimum & optimum demetatur; id hoc anno ultimo Junii in nostris oris factum est.

§. 6. Eadem facilitate refelli potest instantium opinio de regionis inopia, ob minorem *mercaturæ* usum, ex defectu mercium efferendarum ut putant provenientem. Fatemur commercia hic tanto in vigore non esse, quanto apud externos plurimos. id autem eo minus destruit, ut astruat potius rerum apud nos ubertatem; quod & exemplo earum Rerum publicarum ostendi potest, quæ minores sui fundi redditus compensant negotiationum assiduitate, ut Batavia & liberæ civitates, feraci terra carentes; & ratione, cum mercatura originem nacta sit ex necessariorum rerum defectu aliunde acquirendarum, cui

autem terræ nihil ad vitæ commoditatem
deest, ei non opus est ab aliis aliquid mo-
leste acquirere (§). Non vero destitui Fen-
ningiam mercibus efferendis magis quam
aliam provinciam urgeo, licet earum ve-
tūra a Fennis in longe distans oras im-
mediate non fiat, fit etenim id propter in-
opiam talium rerum apud exteros, quæ
nostratibus usui esse possent vel hic diven-
di, quare contenti sunt sua in proximis
urbibus, præsertim Holmiæ exponere, &
pene nihil præter sal quod necessarium sit
repetere. quod vero quidam oggerant,
multas merces exoticas afferri, eoqve in-
digentiam hujus terræ monstrari, non con-
stat; siquidem quæ afferuntur & pauca
sunt, & nullam nostram necessitatem sub-
levant, sed luxuriæ saltem inserviunt, præ-
ter unicum sal. quod vinum quidam ad-
dunt, præter rem est, cum eo optime ca-
rere possimus, excepto sacro ejus in cœ-
na Domini usu, cui etiam sufficienter do-
mi prospicere possemus, si artem usurpare
vellent, quam scio Holmiæ e fruticis S. Jo-
hannis baccis vinum exprimere verum &
naturale, eruditissimorum & illustrium vi-

forum iudicio approbatum & laudatum.

§. 7. Nec infringere valet assertionem nostram, *æstimatio fundi Fennici minoris Svecico*, cum variæ ejus rei sint causæ extra culpam sterilitatis, utpote: quod multæ partes Svecici agri quotannis serantur, multæ, sex, quinque, quatuor, tribus continuo annis, intermisso uno: humus nostra alternis semper quiescit; unde æqualis partis messis nobis uberior. Videntur præterea segeti angusta loca nostra maritima propter multitudinera montium, & interspersos alicubi sterilis arenæ colles, & hinc minoris glebæ minor proventus, qui tamen pingvedine soli & piscatura abunde compensatur. In mediterraneis amplior quidem est fundus ferax, totusque utilis, sed quia procul a mari & fluvio navigabili, id bonum transferendi molestia obfuscatur. Sveci insuper ob sedem imperii aulæque regalis propinquitatem, & innumeras magnatum familias, cuncta facilius divendere queunt, semper pluris, aliquando duplo, triplo, imò decuplo majoris quam Fenni ab ista commoditate remotiores. Et licet Svecicæ terræ Fennica fecunditate cederet ceu nobiliori, non statim

sequeretur hanc, ceu minus fecundam, sterilem esse: quibus omnibus missis nostri tamen existimant, jolla Ruoſi Ruoſisa/ sil-
lä Ruoſi tällä maalla/ i. e. cui *Svecia in Sve-*
cia, ei etiam hic est Svecia, seu qui videre potest
in Svecia, ei hic videre æque facile est.

§. 8. Concedere jam coguntur, ea solum Fennicum terre, quæ vitam sustentare apta sunt, sed *duram & servilem*, non autem melioris conditionis hominibus commoda, vel ad jucundam & dignitate decoram vitam degendam idonea, nec ea quæ ad ornatum & opes pertineant. verum enim vero quæcunque honestæ inserviunt voluptati nos deficere vix reor, etsi ex aromatum condimentis exquisitis non constent. nec id largiri convenit, quod solum servili victu utamur, cum certe delicatissimis juxtaque saluberrimis vescamur carnibus piscium, avium, ferarum, pecorum (α) fructibus arbuteis non multis, præter poma, nuces & cerasa: sed baccarum suavissimarum innumeris generibus, aliis fere ignotis, lacte abundante, & frugibus optimis, quæ profecto & jucunditati & dignitati satisfaciant, secundum nostræ gentis morem delici-

(α) vid. Phil. Honor. de statu reg. Svec. c. ult.

liciarum contemtriciis (β), aromata se digna non æstimantis: facta hic denominatione a pluribus, iisque sibi relictis, non alienigenarum vitioso convictu corruptis, & exterarum rerum insana elatione peccantibus. Ornatum lana, linum & prætiostissimæ pelles abunde luppeditant, sine gemmis, margaritis, auro, & cæteris vana mortalium impositione prætiostis respública felicior existit (γ), *quæ, ut vestis talaris corpus, ita animos impediunt* (δ). Etiam si nec iis plane destituamur, & si necessitas requireret, in majori copia acquiri possint a nobis, abundantibus filigine, hordeo, avena, pisce, piscibus, carne, butyro, caleo, pellibus, pice, lignis, trabibus, lino, lupulo (ϵ) quæ domi provenientia & magis necessaria, maxima copia efferuntur, inque iis maximæ sitæ sunt divitiæ & opulentia Fennorum. Nec minimum probat terræ fertilitatem mensura cibi & potus, aquilonaribus propter calidiorem corporis dispo-

(β) *Jesph. Krus orat. Lugd. m. p. 11* (γ) *videtis*

Utopiam Thomæ Mori Angli. Wex. descr. Sv. l. 6. c. 5.

Tab. Cebet: Maximes Stoiciens de F. d Obeilh 48.

seqq. (δ) Socrat. apud Stobæum serm. 91. (ϵ) con-

fer. supra §. 2. cit. auct.

positionem duplo major debita quam æquatori propioribus (7).

§. 9. Sic ut spes est, monstrata atque evicta Fennici soli fertilitate, si quæ alia videntur commoda exponam, ea petendo ex iis ipsis quæ ut noxia nobis obijciuntur. Primum est *intensissimum frigus*, australibus huc commeantibus intolerabile, nobis *munde sub frigore Fennis* (a) conveniens & utilissimum: idque ob facilitatem vecturæ, sufficienter suppletis defectum navigationis in mediterraneis, & motus æstivi difficultatem ex annium, paludum & stagnorum multitudine ortam. Constringit enim gelu nostrum fluviales non solum aquas, sed & marinas, stagnantes & fluentes; ita ut numerosissimi exercitus sine periculo audeant transire; paludes indurat, salebrosas vias nivis ope exæquat, & innumeris modis itinerum bonitatem promovet. Nullum interea periculum est semini terræ mandato, a pluvia, ab uligine, a vermibus: corpora condensat & firmiora reddit: pestes avertit, quæ hic rarissimi

fimi

(7) Conf. Cyr. Herdesiani Ic. anim. & Joh. Bod. Meth. Hist. c. 5. Rudb. Ast. (a) Pierig. W. ins. paneg. ad Gust. Ad. mesr.

simis rariores; terræ motus ignoti. Alterum, *fluvios* Fenningia habet innumeros, qui rapidi & saxis pleni fere singuli navium sunt impatientes; ac id damni compensant molarum minimæ impentæ frequentia, & ustriarum metallicarum, aliæque machinæ: ut jam de piscibus, cancris, conchis & margaritis nihil loquar. Tertium affero *vastitatem Sylvarum* (β), sed frigori minuendo aptissimarum, ut & juvandis metalli fodinis; quid? quod sylvæ plus frumenti ferant agris, cæsæ scilicet ustæ & seminata, & aliquot annorum fluxu in priorem magnitudinem succrescentes. clarius eloquar: cum rusticus tantum exciderit sylvæ, quanto spatium opus habet domui extruendæ, jam tantum habet trabium quod ex iis fere domus fieri possit. Id in cineres redactum ferit primo filigine, dein hordeo, ultimo avena immixtis rapis: qua segete demessa incultam relinquit, & intra decursum 20 fere annorum, eadem ratione interea omnem suam sylvam peragrans, arbores, a se dejectis altitudine & crassitie pares reperit. Usu veniunt ista in locis a mari remotio-

C

ri-

ribus, in Satacunda, Tavaftia, Sawolaxia: quæ perpendiculari facile patebit, non ex ignavia, fed ratione relictas magnas apud nos nemorum saltuumque folitudines: nec eas hic tam levi opera excindi, quia confestim refurgunt, quam in locis æquatori vicinioribus, ubi tarde augefcent.

§. 10. Nec aliquid momenti contranitentibus affert *diuturna & longinqua Solis abfentia*; nam longæ nobis hybernæ noctes, fi illuces etiam fuerint, tamen luce nivis fatis albefcunt, ita ut iter facientibus diei defiderium non fit magnum, domi residentibus neceffariæ hujus temporis operæ ad ignem bene expediantur; illaque obfcuritas hyemis, proluxa æftatis luce reficiatur. Nobis enim magis ad meridiem habitantibus, ultra mensem tam tenebrarum expertes noctes funt, ut legere & fcribere quicquid velis, & intempefta nocte queas: qui boreales terræ noftre partes habitant, solem inocciduum vident, quilibet fecundum fui poli altitudinem.

§. 11. Tandem aliquid in Fenningiæ vilitatem inventum videtur a dicentibus, tam vasto atque amplo terræ fpatio, utpote quæ fola fere toti Germania eft æqualis,

cultores & incolas deesse; nec ad magnitudinem regionis urbes & oppida haberi. Videtur quidem concedendum regiones alias, pro æquali amplitudine plures habere habitatores: at tamen nec nostram hominibus vacuum esse, præter testimonia (γ) unico ostendemus documento: A. 1696 & 1697, cum divinitus ingenti urgeremur fame, & ignoti grassarentur morbi, sola in diœcesi Aboensi perierunt 62 millia hominum (δ), non tamen exhausta incolis provincia adeo, quin & instans bellum, quod DEUS misericors finiat! ex hac solum præfectura viros triennio abduxerit 17 mille; sunt vero præfecturæ tales in nostra diœcesi duæ cum dimidia: adhuc tamen DEO laus agri seruntur, habitantur villæ, colitur terra, quamquam non eo perfectionis gradu quo solet ac deberet: totus magnus ducatus duas continet diœceses, præfecturas quatuor. cujus damni habitatione, facile est æstimare, quantus populus, quanta hominum frequentia ante annos hos suppliciorum hic exstiterit. adeoque clarum est, quanta iis fides ad-

hi-

(γ) *Ol. Mag. L. II. C. 14. Phil. Hon. de st. reg. Sv. Munst. Cosmog. L. 4. C. 34. (δ) Njan Tieto*

hibenda, qui in bellis nos ope peregrina,
 & auxiliaribus extra patriam conductis
 copiis necesse habere dicunt (ε); cum id
 nec monstrari possit, & si ponamus ali-
 quando factum fuisse, alias ejus rei ratio-
 nes deinceps probabo (ζ), non hominum
 apud nos paucitatem; nec evincit idem,
 quod Ivecorum exercitus nunquam aut
 raro numero adæquavit hostes; quin hoc
 potius fortitudinis est indicium, victoria
 utrique per DEI gratiam a nobis stante.
 Urbium paucitas ex mercaturæ parvitate
 provenit, indeq; maxime, quod ordo agri-
 colarum velut fundamentum sit regni, &
 major ejus, ut naturæ convenientis-
 simi vivendi modi & honestissimi (η), quam
 mercaturæ habeatur ratio, idque ideo, quod
 superius monstratum, omnia hic proveni-
 ant necessaria, nec mercibus opus habea-
 mus exoticis, nisi quæ ad luxum & intem-
 perantiam spectant. nec prætereundum,
 quod rustici sibi quilibet ipsi necessaria
 conficiant (θ), nec sæpius longe distiti ur-
 bem visant quam nundinis, vel litigiis in-

(ε) *Barcl. Ic. anim c. 8.* (ζ) *infra c. 3. §. 2.*

(η) *Cic. off. L. 1. & Cato min.* (θ) *Bureau descr. Sv. p. m. 24. ex recens. Soteri.*

involuti; vel merces ad tributum penden-
 dum afferentes. Sunt vero urbes in Fin-
 landia striete sic dicta, *Abo/ Nådendahl/*
Nystad/ Raumo/ Björneborg; in Alandia
 arx *Castelholm;* in Tavastia oppidum cum
 arce *Tawasthuus;* in Nylandia *Helsingfors/*
Borgå/ Etnäs; in Carelia *Wiborg/ Welisar/*
Kerholm; in Savolaxia *Nyslätt;* in Bothnia
 Fennica seu orientali, *Uhlå/ Cajanaborg/*
NyCarleby/ GammalCarleby/ Jacobstad/
Bråhestad/ Wasa/ Christina. Tres ha-
 rum, emporii seu stapulæ privilegiis gau-
 dent, *Aboa Wiburgum & Forsia.*

§. 12. Varia adhuc sunt minoris momenti,
 quæ Fennis suæ telluris objiciuntur vitia,
 ut, *nulla in mediterraneis navigatio, ferarum*
multitudo, via salebrose, defectus munimentorum,
 indeque aperta hostili insultui provincia;
durum cœli clima homines itidem duros &
 tardos procreans. Quæ vero singula par-
 vo motu ruunt; refutatur primum ita: lacus
 ubique ingentes, & amnes perennes, fa-
 cultatem negotiorum in vicinis paræciis &
 pagis peragendorum optimam præbent.
 Si quid majoris ponderis subito longius
 provehendum esset, & id parva difficultate
 ex lacu uno in alium, trajecto exiguo in-
 ter.

perjacentē terræ spatio, non ultra $\frac{7}{8}$ valde
 raro ad $\frac{1}{4}$ miliaris extenso, transferunt
 quod nobis *saipaldaa* dicitur, ex frequenti
 rei usu, nam hac ratione omnis prope-
 modum regio peragrari potest, quod ta-
 men longis itineribus raro fit, refer-
 vatis ad summam hyemalis vecturæ uti-
 litatem. vias habemus etiam satis planas,
 adeo ut curru totum ducatum circumve-
 hi liceat: si quid extra regiam viā salebro-
 si, id brumæ beneficio planissimum fit, ut
 nulli orbis parti tam facilis sit vectura.
 Feras, licet aliquando damnum pecori af-
 ferant, cui per pastores cavetur & mo-
 lossos validos, non tamen ut noxam terræ
 agnoscimus: siquidem si quid peccarint,
 venatu captæ & innumeris aliis dolis, vita
 luent, carne pensabunt, pelle solvent. &
 quæ malo nos affecit, multas innocuas
 secum simul exitio dat: raro enim effu-
 giunt. Munimenta non habemus artificia-
 lia, partim ob loci naturam talia non ad-
 mittentem, partim quod raro munimen-
 tum inveniatur, quod ad deditioem adi-
 gi nequeat, quo pacto præter inutiles im-
 pensas, iis subactis, regio majori relinqui-
 tur

tur periculo. Spartanis non cedere nos
 persuasum habeto, utrisque *multis seculis*
muris urbi & regioni civium virtus fuit,
quas semper armis non muris defenderant (1)
 cui instituto natura opitulatur, faciendo
 angusta inter paludes & stagna loca, quæ,
 sylvarum objectu, arborum ramis invi-
 cem implicitarum dejectu, ceu firmo vallo
 munita, nullis viribus, aliquo existente de-
 fenso, aditum præbent ad interiora.
 Durum cæliClima, quod duro efficiat ho-
 mines, laudi ducimus, *molles populos effæ-*
minat aer (2), quod tardos fieri negamus,
 hujus assertionis rationes habebit

CAPUT SECUNDUM,

DE FENNORUM INGENIO & STU- DIORUM CULTURA.

§. I.

Infinitam dari ingeniorum varietatem
 inter mortales, certissimum est. eamque
 non totis tantum populis discriminari,
 quorum cuique peculiaris indoles, pecu-
 liaris in notitiam rerum penetrandi fa-
 cultas (a), sed & in his qui unius primum
 apparent naturæ, tantam invenies in sin-
 gu-

(1) *Just. L. 24. C. 5.* (2) *Pier. Winsf. on. metr.*
Daneg. ad G. Ad. p. 30. (a) *Barcl. sc. anim c. 2.*

gulis diversitatem, dum penitius inspexeris, ut nunquam ita duo convenient, ut in cunctis pares deprehendantur: adeoque verissimum fiat: *quot capita tot sensus* in humano inveniri genere (β). tantæ discrepantiæ causas in ætates, sexum, soli indolem, haustum æris, ambientis cœli spiritum, in rationem alimentorum, statuum atque studiorum requisita, conjiciunt eruditi (γ). Missa aliarum gentium sibi relinquenda sui ingenii descriptione, paucis in ingenii Fennici valorem, pro mensura ingenii inter vere Fennica obscuri, inquiram; idque ut gnarus inter subtilissima non admitti, ita contentus atque contentens, supra conditionem infimorum, in mediocribus numerari. sinceris veritatis amicis mecum facillime conveniet, malignorum semper & ubique niger est calculus.

§. 2. Juvabit hic primo fidelium dispicere scriptorum dicta: subjungere iis contranitentium opiniones: adjectam deinde propriam rationibus stabilire sententiam. Dicitur autem de septentrionalibus in genere Svecis

cis

(β) *Horat. ferm. 2.1. (γ) Barcl. ic. an. dedic. Puff. de off. Hom. & civis L.1. C.1. Cumerl. leg. nat. c. 2. §. 2. Besold. de nat. pop. Cyr. Herdes. ic. anim.*

eis & Fennis conjunctim (d), utpote non climate multum nec cœlo differentibus, quod sint Linguarum, artium & disciplinarum capacissimi: si cum Germanis conferantur, industria ingenique certe plus habent (e). De Fennis vero in specie, quod sint ingeniosi, valdeque acuti (f). Sapientiam Sveonibus & Fennis natura dicitur (g), Ingenia satis idonea ad apprehendendas, non tantum mechanicas disciplinas & artes, sed etiam speculativas, & idiomata queque (h). Quod cum Italus, utpote cui nationi super omnes Europæas, ingenii gloria propria est (i). pronunciaret de nostratium ingenio, in dubium non est revocandum.

§. 3. Contrarium quibus verius videtur, suæ opinionis argumenta, non a testimoniis solum, sed ratione quoque peti posse arbitrantur. Illa habent, si alicubi Fennos *feros* (k) dici vel *Barbaros* (l), vel simili-

D

li-

(d) *Wex. desc. Sv. C. 5. L. 4. (e) ex Ps. Merc. cit. ab Bur. descr. Sv. ex recens. Soteri (f). Wex: Gylde: Descr. Sv. L. 4. c. 6. (g), Heinsf. paneg. ad G. Ad. p. m. 16. ed. Lugd. (h) Phil. Honor. de statu reg. Svec. (i) Barcl. ic. an. c. 6. Cluv. L. 3. c. 22. (k) Tacit. de Germ. fol. ult. (l) *Waffenbergz. Deutscher Fl. vom Schwedischen Krieg. Ortel. Thef. Geo. in voce Berg.**

libus vocabulis nominatos inveniant. verum
 quantū certitudinis hauriendū sit ex scripto-
 ribus, non ocularibus rei testibus maximo-
 que intervallo distantibus, supra (u) ostensū,
 & ipse comprobat Tacitus (v), fabulosis, ut
 vere sunt, annumerans, *quæ ultra Fenos tra-*
duntur: unde facillimum colligere, nec quæ
 de his, ut ad fabulosa sua proximis, scri-
 pserit, pro indubitatis obtrudere se velle.
 Quantum etiam fidendum hosti, de suo ad-
 verlario, præsertim victore, asserenti, cui-
 libet perspicuum est. Adde quod ad in-
 genia nostra pernoſcenda, non tam facilis
 extraneis sit aditus vel voluntas; idque quia
 in angulo orbis degimus, nec comœrciorum
 tam frequens sit ulus, præsertim qui a nobis
 longiori distant intervallo. Nec propiores
 scire volunt ex antiqua nimia sui æstimatio-
 ne, nostrique contemptu, existimantes, si ipsi,
 ceu medii inter nos & ultiores, aliquid
 præclari de nostris ingenii iis prædicarent,
 Gallos in sua de ipsis opinione roboratū iri,
 cum proverbio dicere soleant, suspicionem
 stupiditatis de te removendo, *venous pren-*
mez pas pour des Allemands (§), nunquam
 au-

(u) c. 1. §. 4. (v) dicto loco de Germ. (§) videſis
 Bouclier d'Etat & de justice, de Baron de Lisol, art. 8.

autem vel cogitarunt *pour de Finnois*. hæc, sinceris nihil detrahendo, Wassenbergio & qui ipsi inter Germanos pares inveniuntur barbari, nec suum nec aliorum scientes ingenium, opposita sunt: quibus immerito --- --- --- --- *Despectior arctos*

*Diu fuerat, Fennoque velut orbe remoto
Occulerat (talium) fides, nec Gothica noras
Nomina, sed populum mundi videbas inertis
Gens victrix oblita sui. (donec) confudit iniquos
Securosq; duces mundi de frigore Fennus (o).*

§. 4. Rationes multis modis conquirunt, tam ab ingeniorum causis quam signis, adjunctis & effectis. Inter causas minus felicitis ingenii numerant cæli inclementiam & asperitatem frigidi aëris, corpora sibi subjectorum hominum ita condensantis & indurantis, ut omnes partes tardiores factæ, minus apte sua obire queant munia: adeoque propiores aquiloni tardioris & crassioris esse temperamenti; pro cuius varietate etiam variare ingenium certum esse, cum hoc proprie non solum anime facultatem seu intellectum denotet, verum hunc quatenus corporis dispositione quodammodo perficitur (π), id est, orga-

(o) Pier. Wins. paneg. ad G. Ad. p. m. 28 (π) Anle, la grand. inst. Philo. part. p. 6. 5. Bod. Meth. Hist. c. 5.

ganorum sensibus ministrantium perfectionem, subtilitatem & agilitatem, quam in spirituum, species deferentium, veloci motu consistere concipio, & in promptitudine ad recipiendas & retinendas rerum imagines (ρ), atque hinc concludunt nostri adversarii, Fenos minori præditos ingenio; quoniam & Aristoteles (σ) calidioribus regionibus palmam tribuit. His repono: scire me non facile Philosophos contradicere Aristoteli ejusque sequacibus; sed & cordatos nulli auctoritati ita adhærere, quin rationes examinent, & iis recte perpensis rei naturam penitus inspiciant. Igitur aër austro magis subjacens, innumeris magis est obnoxius exhalationibus, vaporibus, ardoribus, qui aquilone non dissipati corpora hominum vehementer inficiunt, tabe, phthisi, febribusq; ardentibus corripiunt, sanguinem inflammatum exsiccant, & spiritus defectu humoris minus volubiles & impressionibus aptos reddunt: & licet impetum habere videantur, is tamen cito defervesces, non secus ac ignis a-

ri-

(ρ) Confer Ren. des Cartes de Homine

(σ) Sect. 14. probl: 15. adde Besold. de nat pop.

& apud eum Charron

vidas stipulas percurrens minus urit, absque nobili effectu langvescit: quare exhausto humido, calore quoque interno per nimium externum attracto, citius deficiunt, nec nostratium longævitati pares unquam inveniuntur (τ). Multæ illis pestes, quas ignorat Fenningia; multi morbi quos non vidit septentrio. Nobis hic natis, geluque pati consvetis licet corpora firmiora & duriora, non idcirco torpet, nec frigore læsa spirituum vis est, quin hæc potius eo erit major ut externo hosti bene resistere possit, cum alioquin cito periremus: at experientia contrarium monstrat, homines scilicet ætatem hic ultra quam alibi terrarum prorogare, quod impossibile esset absque calore interno valido. Qui quo validior, eo spiritus sunt subtiliores & agiliores, defæciores etiam, dissipato insuper omni noxio afflatu borealibus ventis. Ita temperamentorum gnari statuunt (υ), quod qui habitant regiones tam temperatam habentes ætatem, ut fruges bene maturescant, & hyemem frigidam,

ne

(τ) *Bes. de nat. pop. 4. Bod. Meth. Hist. e. 5.*

(υ) *Confer. And. Sparmans sundhets spegel 1. boks 4. cap.*

ne tamen hominibus noceat, eos esse longævos,
 sanos, pulcros, & omnibus artibus aptos.
 Omnia recensita requisita nobis conve-
 nire, nec dubitare audent ipsi adversarii,
 præter ultimum de quo controversitur,
 cum tamen connexum sit illis, etiam con-
 cedi oportet.

§. 5. Secundam rationem depromunt ex
terre natura (Φ); quod nostra montana sit &
 palustris; illa lapidificos spiritus exhalans
 (χ), duris homines implet spiritibus ad
 recipiendas quaslibet impressiones haud
 idoneis; hæc effluvia diffundens pu-
 eria, æstu solis magno extracta, nocivos
 generat humores nativum suffocantes ca-
 lorem, legniaque sensuum efficientes orga-
 na, quo perceptio impeditur: nec ven-
 tis illa auferri posse, ob sylvarum immen-
 sam vastitatem. Respondeo: montes li-
 tora saltem, non item mediterraneas oc-
 cupasse oras: & si quos non salubres
 producerent spiritus, nec eos nisi du-
 ritie culpabiles, hi tamen oleaginoso in-
 terjacentis pinguis glebæ afflatu tempe-
 ra-

(Φ) Hippocr. in lib. de aëre & locis. Sparm.
 Sund: sp. 1. B. 4. c. Cic. l. 1. de divin. Arist.
 sect. 14. probl. 15. (χ) Besold. nar. pop. 6.

rati, sicco calori iudicii instrumento, oleo-
sam addunt substantiam memoriæ adju-
mentum. Italiæ exemplo res declaratur,
sane nec montibus carentis nec ingeniis.
Porro, sunt quidem nobis paludes, sed ma-
ximam partem ab ædibus remotiores:
sunt sylvæ, sed & interspersi colles quæ
habitantur: adjacent stagna ingentia raro
stagnantis aquæ: alluunt amnes & rivus
aquas paludum & lacuum deferentes, qui-
bus motus aër, si aliquid venti accesse-
rit, qui hic semper vehemens (ψ), facile
flatus ciet tantos, ut non sæpe sylvæ ut-
cunque magnæ quiescant, nisi aliquando
fervidissima æstate, tempore brevissimo,
& sensim redeunte frigore vapores de-
primente omnes. Calidum præterea il-
lud innatum, quod septentrionalibus ma-
xima adest copia, & majori semper vi-
agit, fortius etiam sibi non convenientia
repellit, & apta assumit. Hæc quoque ex-
perientia manifestat.

§. 6. *Causa ingenii tertia alimentorum
ratio* ulterius nobis opponitur, utpote ve-
scentibus crassioribus & durioribus cibis,
qui per stomachum in venas transeuntis san-
guis-

guini sese immiscent, eidemque suas qualitates communicant & qui sanguinem immutant, immutant etiam spiritus (ω) tales vero cibi sunt pisces, iique sale, sole & fumo indurati, ferinæ bubulæque carnes eodem modo apparatus, panis duri succi, potus crassus hordeaceus, & similia: Hæc fa-teor Fennorum firmis corporibus aptis-sima esse fercula; sed nec recenti tam carne quam pilce nos abstinerere, neque delicatis & optimi succi esculentis carere dicendum. Siquidem non usitator nobis est cibus lacte, butyro, caseo (α) quibus vix aliud melius nutrimentum (β), ovilla recens & sicca esca optima nobis abundat. Attegen, perdix, turdus, sturnus passer, & reliqua tam delicatis quam medicis laudatissima avium genera sylvas & recta implent. Panis filigineus ubique estur, isque purus & quater vel quinques a paleis purgatus melioris conditionis hominibus, tritico albedine & sapore vix & ne vix quidem cedens. Adest & triticeus. Potus cerevisia haud facile com-mo-

(ω) *Des Cartes de Homine* 27. (α) *Ol. Mag.* L. 13. c. 7 8. (β) *Sparmans sundhet* sp. 26. c. 9. 10. 11. *Phys. Sperl.* L. 8. c. 5.

dior invenietur. Longum hic foret enumerare herbas, radices, baccas infinitæ multitudinis, saporis & virtutis laudatissimæ, quæ nobis alimento & medicamento profunt. Nominabo saltem theriacam rusticorum allium (γ), & juniperi baccas, quæ, quantâ hic copiâ proveniunt, orbiteri sufficerent; maximæ sunt virtutis (δ), ita ut Persæ nostrates posse mori mirentur, propter abundantiam hujus fructus, & quemadmodum narrationem Illustris Viri ad Persas Legati referri audiveram, unicam in tam vasto imperio, regis in horto intra aureos cancellos obseratam servari, eamque a medicis regi afferre plus quam aliquam tuarum provinciarum.

§. 7. Hoc insuper de cibis Fennorum monendum videtur: quod ut alibi, ita hic quoque durioribus operarii, agrestes, & mercenarii, aliique pauperiores utantur: superioris vero fortis homines, qui studiis sunt dicati & sedentaria exercent opera, melioribus & recentibus ut plurimum fruuntur. nec prætereundum est, multos liberalibus occupatos laboribus, & quibus

E

mi-

(γ) *Phys. Spert. l. 7. c. 6.* (δ) *Spart. fund. sp. 2. B. c. 6.*

mitior fortuna indulfit, tamen solidum, fal-
 sum & intumatum alimentum sibi con-
 venientius judicare, talique saltem non con-
 tinuo vesci, & alios meliorem alimenti
 rationem habentes ferme ingenio superare;
 adeo ut doctis hæc res scrupulum incu-
 tiat non levem, dubitantibus, num robu-
 stis corporibus, & forti omniaque di-
 gerenti stomacho, qualis nobis plerum-
 que, commodum sit tenuem vel levis con-
 coctionis cibum assumere; quoniam forti
 igne etiam crassissima solvuntur, & ubi
 omnia bene officiis suis præsto sunt, si
 quæ sunt inepta, accurate separantur, in-
 deque corpus opus habet majori quan-
 titate vilioris nutrimenti, quam melioris.
 quæ dicta sufficere videntur ex causis ad
 statuendum non hebes esse Fennicum in-
 genium, sed cum aliis certare nationibus,
 & eas quandoque superare.

§. 8. *Adjuncta* leu *signa boni ingenii* quibusdã
 (ε) necessaria videntur, *melancholicum tem-
 peramentum, timor, mollities, versutia, & quæ
 sunt similia.* Ista autem septentrionalibus
 non inesse, sed contraria, & communis
 est sententia, & infra (ζ) probatum da-
 bi-

bimus: nec eo fecius ingenii gloriam retinere cupimus. Sed ut signa illa a nobis rejicimus, ita iisdem negamus vim signandi ingenii felicitatem. primo quidam dicendo: non posse *temperamentum melancholicum* ingenium sustinere, cum id confiat partibus terrestribus, crassis, tardis, quæ nec recipiendis rerum imaginibus, ceu siccæ & duræ, nec velociter deferendis, quia graves & obelæ, inserviunt. sanguinei vero, ut humidi, indeque memoria præditi, & calidi, hinc facilis judicii, hoc sibi potius vendicabunt (*). esse vero boreales sanguineos (†), humidos & calidos (‡), cuius constat. deinde *mollitiem animi* ingeniosis esse adnatam vel notam certam inficias imus, astruentes potius eam doctis sæpe consuetudine esse acquisitam, cum studiis sapientiæ dediti, non possint simul invigilare exercitiis corporis. experi-

(*) Ric. Cum. de leg. nat. c. 2 §. 24. Et adducti ab eo magni nominis medici Willisus, Lowerus, Holling, Glissonius. addantur. citante Bod. Cardanus & Ptolom. Et a Bes. Charron. (†) Besol. nat: pop: 4. Bodin. Met. Hist. c. 5. ex Vitruv. (‡) Besold. & Gailb. Sall. du Bartas latine reditus a Gabr. Lermea. Bod. ll. all.

rientia testis est, æquatori propiores doctos pariter ac rudes, molliores esse remotioribus sive stupidis sive acutis. porro advertimus *timorem* adherere melancholiæ & mollitiæ, sanguineis & robustis naturaliter non adesse: quare subruta futura patitur hæc structura ruinam, scilicet, *timorem* cum acumine intellectus sub eodem tecto stabulari. quod tandem *verfutiam* attinet, eam quidem maxime penes ingeniosos inveniri, non tamen omnes, fatendum, rarius apud hebetes, licet & hos astutos monstrare obviis exemplis possem; provenire eam non ab ingenio, sed perverto ingenii usu & applicatione. ast cum ingenitus nobis magis sit candor & sinceritas (x), etiam ingenium verlutia contaminatum relegamus.

§. 9. Non prætereunda hic videtur Bodini (λ) opinio septentrionalibus in plurimis iniqui, asserentis hos *suspicaces* esse, ideoque *minus acutos*; cum, ut putat ille, sed putat, qui ingenio rei naturam indagare nequeat, omnia fingat. Sed quam hic vir alias clarus offenderit, perspicacioribus facile est advertere: contrarium

et-

(x) Vide *infra* c. 3. §. 10. (λ) *Meth. Hist. e. 5.*

etenim, & causam minus proprie allegatam, tum experientia, tum natura monstrat. Quoad prius ajo, boreales suspiciores aliis non esse, quod ipse aliquanto post immemor sui fateatur hos non esse Zelotypos. qua posterius, nec hebetudinem ingenii, nec acumen, veras suspicionum esse causas, quanquam læpius acutos comitentur: hi enim & indole sua & consuetudine, ad pensandas omnes res impulsivi, ubi, ut homines, penetrare nequeunt, ex incertis etiam circumstantiis & sæpe falsissimis, tamen quod evenire aliquando observaverint, concludunt. quare non agrestes tot habebis suspicionibus oneratos, ac hominum cultiores; quod tamen perpetuum non est, sed contrarium quoque constat, ego vero cum Comico, (μ) omnes quibus res sunt minus secundæ, magis aliis esse suspiciosos, existimo atque scio; idque, quia didicerant esse infelices, & cuncta ob id timere, & circumspicere num hoc nocivum sit, an illud, num hinc damnum instet an inde? quibus probatum censeo, ex suspicionibus, si nobis inessent, tarditatem non posse inferri, sed potius

PRU.

prudentiam (v), post circumventam aliquando fallaciis a vicinis sinceritatem nostram.

§. 10 Parvi etiam videtur objectio ejusdem, & forte simul aliorum (z), experientiam testantur *validos corpore minus animo valere*; eo quod firma corpora firmiter requirant elementum, consequenter crassam & terrenam magis quam spirituosam materiam unde sanguis & spiritus crassiores & tardiores, intellectus operationibus minus sunt commodi. rehero, eandem experientiam apud nos tot & plures ostendere robustos simul natura acutos, quam tardos & obtusos. separo hinc robustos factos ex exercitio corporis assiduo, qui nullam animi curam juxta habuerant; mihi enim de natura heic loci, non assuetudine sermo est. noto præterea, multum alimenti & varii, quod a nobis consumitur, tam spirituosas, oleosas & igneas continere atomos, quam terrenas, firmas & fixas, indeque & corpori conveniens & animo affluere nutrimentum atque fomentum: nam

(v) confer. Hor. Od. 10. L. 2. Et hic. Gez. c. 13. part. post. (z) Bod. M. H. c. 5. qui adducit Arist. de rep. L. 7.

nam multus sanguis & corpori robur addit, & ingenii valorem adjuvat, quod superius & rationibus & testimoniis firmavi. adde quod etiam supra monui de forti concoctione crassa quoque resolventi. Nec scio qua ratione constabit, nobis fortitudinem bellicam adscribi, & ingenium negari; cum non possit monstrari, felices unquam exstitisse bellatores, qui corporibus solis, non ingenio simul sint fortes & instructi, nam *vie consilii expertis mole ruit sua* (o). confirmant id exemplo bruta licet validissima juxtaque callidissima, viribus tamen humanis cedentia: confirmant omnes barbarorum gentes, quamquam ingentis roboris, & pertinaciæ inauditæ ad necem usque, queis tamen vel natura ingenii vires negavit, non duplici, non triplici numero virorum, unquam ausæ contra alios meliori ratione pollentes decertare. reperiri autem conjuncta, robur corporis & judicii vires, patefaciunt bruta robustissima ut Leo, Elephas, &c. quæ insigni simul instructa sunt calliditate & prudentia (π).

§. II.

(o) *Hor. Od. 4. l. 3.* (π) *videantur Zoologi Sperl. Franzius &c.*

§. II. Cum *usum ingenii* nominare contingit, in mentem venit plurimos ejus esse opinionis, quod licet Fennos non deficiat natura, iidem tamen exercitiis careant, nec operam aliquam navent ingeniorum cultui. ita censent, & innocue quidam ita censent, etsi non admodum vere. justissima nobis querela est: infortunatos nos eo nomine esse, quod vicinorum quidam sua ignorantia nos metiantur, nec æstimare norin excellentia ingenii dona: alii sibi videntur soli sapere, *nationum aliarum contemptores* (p), quid hic sciamus non attendentes, nec scire volentes. advenit, quod si quid a Fennis geratur eximii, id sub Svecorum saltem nomine, quo totum imperium appellatur, exteris innotescit; unde tam parce scriptores nostrum faciunt mentionem. qui veritatem hujus rei indagare avert, quoscunque adeat historicos de bellis Svecorum narrantes, rarissime Fennos inveniet nominatos, cum tamen hi in Polonia & Moscovia, ut sibi propioribus, interdum tantum non soli, sæpius maximam bellorum sustinuerint molem.

§. 12.

(p) *memoires de Suede de Lin. Vauc. T. 1. p. 204. Barcl. ic. an. c. 5.*

§. 12. Coli nostratium ingenia constat
 iisdem rationibus quibus aliorum, indi-
 gentia scilicet, ejusque expletione: quæ-
 rendus enim industria homini victus & a-
 miectus, non ubivis absque labore ut brutis
 occurrens, nam *mortalibus nil sine magno vi-
 va labore dedit.* Non hic diffitendum, Fen-
 nis, iuveto ipsis vivendi more, minorem
 ingenii acuendi esse occasionem, cum na-
 turæ necessariis abundant, nec superflua
 appetant. aliæ vero nationes, quæ minus
 habent naturalium divitiarum, & magis
 sunt avaræ (τ), ingenio quærerere coguntur,
 nam *ingenium mala sæpe movent.* (υ) ubi evi-
 dens est utilitas aut necessitas, quod inge-
 nio haud careant, nostri ostendunt, tum
 enim hâtâ kâsse härjân juosta/ pacto pai-
 menen paeta. i. e. *periculum cogit bovem cur-
 rere, necessitas pastorem fugere.* sit exemplo
 industria mediterraneorum in parando fer-
 ro & sale; ferrum, cum difficulter æstate
 ab urbibus per immodicum itineris spati-
 um efferatur, ipsi ex rudi terrena massa
 rubricante, ex lacuum fundis, nescio qua
 arte extracta, conficiunt optimi generis.

F

Lo-

(τ) *Phil. Hon. de statu regni. Sv. (υ) Ov. art.*
l. 2, v. 43.

Loco salis peculiari utuntur fermento, quod omni cibo inspergi aptum est. ita quilibet plebeiorum ipse sibi sartor est, ipse sutor, ipse faber: ipsi coquunt, ipsi serunt, metunt, tritulant: quæcunque necessaria sunt, ipsi faciunt, quæ res haud pessimi ingenii nota est. non minori in aliis artibus elegantioribus & sublimioribus successu procedunt, *sed excellunt quoz, dum iis animum applicant* (Φ). quod omnino notandum, ut verissimum, contra injurios (χ), *Fennos gravibus saltem laboribus, non subtilioribus aptos esse*, dicentes.

§. 13. Hos vero ingeniorum effectus una cum aliis majoribus nobis detrahere volunt adversarii, atque negatis iis ipsam negare causam. primo ajunt non ad tantum fastigium *artes manuum* inter nos ascendisse, quantum apud exteros, quod partim concedimus, partim negamus: concedimus, non tot hic ac alibi artibus mechanicis perfectam operam dare, pauciores tamē illos nihil perfectione aliis inferiores esse. causa est, quod ex modo dicta rusticorum, quantum ipsis opus, solertia, artes hæ viles nostratibus habentur, imo agriculturâ

lon-

(Φ) Charron. apud Besold: 4. (χ) Puffen
inledning till Swänsta Hist.

longe viliores, cum Ciceroni ex natura plane assentiantur, nihil esse agricultura melius, nil uberius, nil dulcius, nil libero homine dignius, contra vero, opifices omnes in sordida arte versari (ψ). & his nostri cum cultione agri vacant, detinentur, tanquam minoris existimationis labore. inde etiam egeni potius rustico operam locant, quam artificibus incumbant addiscendis, quæ Germanis plerumque relinquunt. nec aliquid commodi se habere putant ex communi arte si ei se soli dederent, quia omnibus nota, & pauci opificis opera uterentur; ideo dicunt proverbio: *kyllâ sen neula syô/* cuius neula sua, i. e. *quod acus lucratur, etiam acus consumit*. Multi tamen e nostris, multas nullo magistro didicere artes, & ad summam perfectionem ascenderent, ni contenti invenisse, ad alia, prioribus neglectis transirent, sicque multis intenti, in omnibus impedirentur (ω), nam rerum diversitas aciem intentionis obrumpit (α), id autem faciunt, magis delectationem animi quam lucrum quærentes. sed cum de his prius (β) actum sit, brevitatis causa hic omitto, ad illa B. L. modeste relegando.

§. 14.

(ψ) l. 1. de off. p. m. 61. (ω) *Wex. Guld. def. Sv. l. 4. c. 5.*
 (α) *Flor. præm. l. 1. (β) in Abou c. 3. §. 27. & seq.*

§. 14 Jam eo quod maximum est per-
 veniemus, nimirum *literarum studia* eorum-
 que florem. hæc variis modis nostri ho-
 noris hostes impugnant, tam in ortu quam
 progressu nostra minimi semper facien-
 tes. hic iterum injuriosus est Bodinus, ubi-
 que vana plus auctoritate quam rationi-
 bus in nosmet pugnans: inter alia, *Scythas*,
 quo nomine omnes intelligit boreales, ait
 (γ), *fere semper a litteris, australes ab armis*
abhorruisse, rationem addens, *illos minus*
ingenio valere, at corpore magis. sed & hic
 & alibi rationi contrariatur. saltē quod
 ad nos, examinabo. *caro naturaliter mollis*
boni est ingenii nota (δ): Bodinus *aquilonaves*
esse molles dicit, & præmissis contrarium
 concludit absurde. hic autem recte ince-
 dere qui cupit, tenendum omnino car-
 nem naturaliter mollem, quia humida est
 & calida, bonum indicare ingenium, quod
 aliquatenus jam demonstratum est, & bo-
 reales tales esse, nempe naturaliter molli
 carne, quæ nihilominus frigore, gravi la-
 bore & fortibus exercitiis a parte exte-
 riore condensatur & induratur, unde ro-
 bur corpori provenit & tolerantia, non

eq

(γ) *Metb. H. c. 5.* (δ) *Alsted. in de Physiogn.*

eo secius internis partibus constitutionem
 pristinam retinentibus. hæc non attendens
 Bodinus, alia non vera quærit refugia.
 Quod literarum amorem attinet, vix pla-
 ne sibi constabit memorata opinio, quod
 in priori opella (ε) B. L. spero evidenter
 monstratum. sed & hoc addo: nostris li-
 cet prius litteræ probabiliter notæ fuerint,
 non tamen iis tantopere propter bellorum
 studia vacasse. quæ antiquis illis tempo-
 ribus sola ut virtutis exercitia æstimaban-
 tur omnibus gentibus, at liberales artes
 contra, tanquam ignavorum refugia (ζ),
 seu qui versutiæ dediti his se promovere
 voluerint, aliosque fallere: & humanissi-
 mi tum populi, nostræ ætati comparati,
 barbari habentur.

§. 15. Prætendunt porro, ingenia si Fen-
 nis essent felicia & exulta, etiam plura
 eorum exstarent *monumenta*, cum bonitas
 rei non tam ex intrinseca sua affectione
 eluceat, quam ex relatione ad alia: *qui
 enim sibi soli bonus est, vix bonus dici mereatur* (η).
 At nec monumentis destituimur, Fennorum
 ingenia probantibus, modo arrogantia
 glau-

(ε) *Aboa c. 3. §. 30. & seq. (ζ) conf. Phil. Hon. diss.
 an litter. stud. milit. emerit. (η) vid. off. Cic. l. 1. & pass.*

glaucomate deposito ea dignentur inspicere. certe, quamcunque petas disciplinam, invenies nostratibus esse notam, & si *veritas odium non pariat*, libris hic editis & conscriptis vix alibi meliores. scito quod

- - - *Non paucis cum Phœbo Pallas ab annis,
Sicelides Nymphae, Themis & Cyllenia proles,
Haud minus egelida posuere Lycea sub arcto,
Quam Stadium Bellona sibi, sibi Mulciber
Ætnam (S)*

Quæ memoriæ occurrunt Reverendissimorum Episcoporum & celeberrimorum Professorum opera, brevi catalogo inclusa saltem exempli loco hæc habeto

Theologica:

Rever: Ep. M. *Erici Erici* Postilla Fennica
Doct. *Æschilli Petrai*, Versio Bibl. Fennica.

M. *Elsi Terseri* Annot. in Genesin
Doct. *Joh. Gez*: Patris, Casus Conscientiæ,
ejusdem Fasciculus homileticus in textus
pœnitentiales.

Doct. *Joh. Gez* Filii, Commentarius in universa Biblia, quem DEO juvante speramus propediem editum iri, totius orbis Christiani commodo.

Prof.

(S) *Guilh. Sall. du Bartas, cum vers. Gabr. Lermex, citat. Besold.*

Prof. Doct. *Enev. Suenonii*, confirmati ante obitum Episcopi Lundensis. Synopsis Theologiæ. Index Syncretismorum. Apologeticus DEI. Gymnasium capiendæ rationis humanæ. Babylon magna ruens. Artificium Delilæ mysticum.

Doct. *Petri Laurbecchii*, nunc Episcopi Wiburg. De Gratia DEI.

Doct. *Pet. Bång.* post Ep. Wib. Comment. in Ep. Hebr. & Hist. Eccl. Sveogothicæ. M. *Andra Wanochii* de imputatione peccati Adamitici, morte auctoris interveniente imperfectum.

Doct. *David Lund*, de Excidio orbis substantiali & totali, sub prælo sudat.

M. *And. Hasselqvist Bättringz* Basim seu comment. in Jonam. *Undelige Hiertewäckare.*

Philosophica:

Doct. *Æschilli Petrai* instit. ling. Fennicæ.

Doct. *Joh. Gez.* Patris Encyclopædia Philos.

M. *And. Thuronii* institut. Logicæ, & Compendium Metaphysicæ.

Doct. *Jac. Flachsenii* institut. Pneumaticæ, & Collegium Logicum.

M. *Dan. Achrelii* Contemplationes Mundi.

M. *Simonis Kexleri* Arithmetica triplex. Computus. Cosmographia & Geom.

Doct.

Doct. *Job. Flachsenii* Algebra & Mechanica.
Ephem. & calc. cometæ visi 1680. Eph.
Cometæ visi 1682.

Doct. *Pet. Laurbecchii* Poëtica.

M. *Sim. Paulini*, Gramm: Hebræa.

M. *Mart. Miltopæi* instit: orator:

M. *Danielis Achreli* Oratoria. Ratio conscri-
bendarum Epist. De differentiis vocum.

M. *Torst. Rudeen*, paneg. Svetico metro di-
ctus gloriosæ memoriæ Regi CAROLO XI.

Michaëlis Gyldenstolpe virtutum Ergaste-
rium, cum fasciculo controversiarum
Ethicarum, & Synopsi Oeconomix. ejus-
dem Politica. & Descriptio Regni Svecici.

M. *Axeli. Kempe* Ethica

M. *And. Wanoebii* Disquisit: Practicæ.

Nihil contrarii probat, quod inter enume-
ratos plurimi Svecicæ fuerint nationis,
nam illi circa Academiæ natales neces-
sarii erant, Fennis nondum probatis &
instructis; propioribus his temporibus
nostrates numero excedunt.

§. 16. Non dubites, Lector, plura esse,
quæ aut me videre non contigit, aut me-
moriæ exciderant. prætereo etiam hic
*aliorum eruditorum virorum scripta, Disserta-
tiones Doctorum, Professorum, Magistrorum, &*

studiosorum non contemnendas. Quod tamen libri hic facti numerum operum ad exteras Academias natorū non exæquent, non minorem scientiam causam agnosco, sed ingenioso credo Barclajo de Germanis dicenti (9): *illos plura, quam sciunt, scribere, alios sepius plura scire.* Nec nostris ea est ambitio, ut ostentare suam velint sapientiam, contentis ea promere, quæ ad necessariam juventutis informationem, vel defensionem calumniæ, vel etiam magistratus & superiorum jussu in lucem mittere coguntur. hinc Professorum pauciora sunt opera; accedente defectu utilitatis apud externos frequentis, qui audientes virum clarum aliquod præ manibus habere opus, id priusquam viderint licitantur, ut auctori præter laborem componendi nihil sit molestiæ: nostri contra, si quid efficere velint, propriis impensis faciant necesse est, & damno, cum emtores absint, gloriolam emant. ea causa etiam est, quod minori sæpe pretio foris allati libri emantur quam domestici. Magistrorum & studiosorum dissertationes sunt plurimæ, earumque non paucæ, exquisitæ eruditionis documenta,

G

quis

quia ob promotionem Academicam necessaria. breve tempus, quo Academia nostra floruit, sexaginta annos, aliquam heic quoque considerationem mereri, cordati judicant; maxime licet contranite invidia.

§. 17. Hæc de nostratium ingenii simpliciter prolata, non *de singulis individuis* intellecta volo: sufficit ea maximæ gentis parti competere. non etenim credibile, aliquem populum de tanta beatitudine sibi gratulari posse, quod nullum putridum in societate membrum habeat: ita nec nobis arrogamus cunctos ejus esse aciei, quod ingeniosi dicantur. nec præterea moror, penes *agrestes* tanquam habitu deletum esse hoc naturæ munus, scilicet, quod nihil præter quotidiana sua exercitia capiant, neque, si quis in iis aliquid melius introduxerit, id agnitum recipiant; commune enim hoc cunctarum sub sole gentium vitium esse scio, quod avito libenter adhæreant vivendi modo, & commodiorem sæpe respiciant. præterea non existimo a rustico experi posse, tantam sui judicii culturam, quanta opus est dignioribus; quoniam suis intentus ille haud aliis attentionem præbere potest: & laudi ducitur, missis

alienis, suis invigilare negotiis. aliis in oris
 similiter inepti ad alia reperiuntur agri-
 colæ, & nostris, in necessariis longe rudi-
 ores, unde nihil ingenio Fennorum vel
 hac ratione decedit, sed suo adversum sen-
 tientes hic præcipue feriuntur telo. Quod
 pluribus adhuc probari posset, ni brevi-
 tatis studio quædam omitti consultum esset,
 quædam ad caput sequens reservari. ager
 autem.

CAPUT TERTIUM

DE INDOLE FENNORUM & AD VIRTU- TES PROPENSIONE.

Ad *indolem* Fennorum describendam
 progresso mihi, primo *corporis habitum*
 breviter exponere esse arbitror. estis,
 ut maxime borealibus (1), quoad *staturam*
 procerus decenter: *color* albus (2), rubedine
 temperatus, ni sole & ventis, &, ut quidam o-
 pinantur, balneis (licet inter eos qui balneis
 quotidie utuntur, tam candido corpore mul-
 ti inveniantur, quam qui iisdem abstinent)
 in fuscum mutetur, laudabilem viroque di-
 gnam

(1) Besold. de nat. pop. 6. Bod. Meth. Hist. c. 5.
 qui idem sentientem adducit Vitruv. Hippocr. de
 aëre. (2) Bod. M. H. c. 5. du Bartas &c.

gnam formam (λ): *capillus* ut plurimum flavus, vel interdum subruber aut albicans, etiam fuscus: *robur* egregium, cuius & testimonia (u), & exempla enumerari nequeunt. *valetudo* bona & constans, ex aëris salubritate proveniens, ut prius, probatum (v). quæ in unum collecta, *præstantem & virilem dignitatem* Fennis, ut cæteris septentrioni vicinis, conciliant (ξ); quæ homines non minimum commendat, quoniam & felicitatis pars censetur, &

Gratior est pulcro veniens de corpore virtus;
 Quam sedes aquilonares non aspernari, sequentia patefacient. Hic vero memini nobis objici, quod plerique tradunt (o): *boreales hispidos esse & pilis horridos*, nec tam lævitate & jucundo aspectu, ac australes; sicque formæ gloria carere: *queis dictis reponimus, & formam viros neglectam decere (π), & venustatem muliebrem esse, dignitatem viris competere (ρ); hanc pilis non minui; nam*

Barba viros, hirtæque decent in corpore setæ (ς).

In-

(λ) *vides* Cic. Off. L. 1. Ov. Epist. Her. 4. & art. L. 1. (u) Du. Bartas, Charron, Besold. Bodin. Heins. pass ad G. Ad. Esc. (v) c. 1. §. 4. c. 2. §. 4. 5; (ξ) Bod. II. all. du Bartas (o) Bod. c. 5. Bes. 4. (π) Ov. art. L. 1. (ρ) Cic. off. L. 1. (ς) Ov. Metam. L. 13. fab. 8.

Insuper quod delicatis satisfaciet: hispidos veteres fuisse nostrates, quia ut militares viri, laudi duxere horridam præferre speciem; nobis ne hoc, licet nullius momenti, objiciatur, cura æque politam ac aliis præstabit cutem, adeo ut ea re ulterius non distingvamus a populis elegantioribus.

§. 2. Forma corporis monstrata, addendum est *temperamentum*, ut quid a natura, quid etiam a disciplina hauserint, patefiat. superius (τ) traditum, *humidos boreales* omnes esse & *calidos*, indeque copiosi sanguinis, multorum spirituum & validi corporis; hæc enim invicem consequuntur: siquidē copiosus sanguis multos necessario generabit spiritus, qui roboris sunt causa, mole & impetu membra graviora reddentes. unum qui concedit, alia concedat necesse est. Ita constitutus homo ad *latitiam* est *propensus* (υ): & licet hæc in Fennis non statim se promat, quamobrem quibusdam videtur, iis minus recte tribui, maxime tamen ipsis adest, sed gravitate aliqua temperata; cum alias facile in levitatem & inconstantiam degeneraret.

§. 3.

(τ) c. 2. §. 8. (υ) *Cartes. de Hom. §. 26. Bod. M. Hist. c. 5. Sperl. Anthrop. a Bes. cit. Bartyr.*

§. 2. *Læti alacres in periculis subeundis & fortes sunt: ira boreales cum primis bellatores egregii* (Φ), &

Omnis in arctæis pop. Les quicumque pruinis

Nasitur, indomitus bellis, & mortis amator (χ).

Fennorum quoque propria est fortitudo & præcipua virtus (ψ). Quod autem hanc gloriam nobis invidentes oggerant, sæpe Fenos cladem passos, sæpe etiam in bellis fugisse, nec præcipua suæ virtutis exempla præsentī bello declarasse; diluitur negando id sæpe factum, licet aliquando, idque rarissime: nec victoriam in hominum numero vel robore consistere, sed divinitus dari (ω), credimus. Fugere vero suo quoque tempore laudatur: nec probrosam Fenni agnoscunt fugam, sed potius contraria ratione aliquando peccasse contigit, nimirum, cum pauci & sine duce nihil contra valentio rem hostem possent efficere, & fuga sibi consulere possent, tamen donec consumerentur sine mandato steterisse. huc non

per-

(Φ) *Bes. nat. pop. du Bartas, Charron. Bod. Meth. Hist. Barcl. ic. an.* (χ) *Lucan. L. 8.* (ψ) *præter ea testimonia quæ in Aboa abunde protuli, vide Geogr. Hüblers auff die friedens schlüsse zu Dinst. Wic. t. II.* (ω) *Prov. 21. D. 316*

pertrahendum, si paucos quosdam semel deliquisse constet. hoc bello, quod nos in præfenti premit, culpandi nostrates non sunt: quoties enim occasio data est, & boni duces additi, non defuerant suis partibus, quod felicia, DEO laus! hujus etiam anni acta testantur. Nihil adhuc eo obtinent adversarii, quod dicant *extraneos* a nostris Regibus in bellum *conduci*: non enim id fit sæpe sed valde raro, nec ideo, quod vel Svecorum vel Fennorum diffidant fortitudini, sed quia vel suis parcere malunt, vel quia citius in hostili solo acquiri possunt, cum propter viarum longitudinem domo populares evocare magis sit molestum, & nos ultimæ necessitati velint reservare; interdum etiam custodes regno validos relinquere, cum experientia testis sit, nunquam nobis bellum cum uno tam subito exarsisse, quin alter statim se adjunxerit, & sæpe tertius, copiis deductis, occasione inhians, nostros limites invaserit. nunquam nobis duobus pauciores erant hostes, sæpe tres, interdum sex etiam, quos omnes domesticis viribus repulere Reges nostri Augusti.

§. 4. Hæc illa *feritas miræ* Fennorum; quam ipse assignat Tacitus (a), nimirum quod

(a) de Germ. verb. ult.

acres & feri sint in sternendis hostibus; non vero barbara crudelitas, ut quibusdam placet momis; ea enim cum mansuetudine iplorum laudata nequit consistere. dicuntur vero boreales *mansueti* (β): & qui *altam habitant regionem, planam, ventis expositam & aqvosam* (γ): item, qui *spiritus habent copiosos, boni & ad amorem proclives* (δ). quas condiciones nobis convenire, probatum satis existimo (ε); ergo & quod ex iis concluditur. Præterea si feritatem explicare velent per defectum morum elegantiorum & humanitatis, illud quoque rejicerem, partim hoc, ut alia ipsius de Fennis dicta Lappis non nobis convenire dicendo, partim aliorum opponendo sententiam (ζ), & experientiam, argumentum validissimum. nec in totum concedimus, si hoc de solis proavis diceretur, eos feros fuisse; cum latis antiquum etiam testimonium sit, *Fennos mitissimos, Scanzia cultoribus omnibus mitiores esse* (η). moderni contumelias non facere prompti, nec pati (θ): *tardi ad iram, acres ad vindi-*
ctam

(β) du Bartas a Bes. citatus. (γ) Hippocr. de aëre (δ) des Cartes de Hom. §. 26. (ε) supra c. 2. §. 5. 9. (ζ) vid. infr. §. 11. (η) Jorn. de Gothis. (θ) Barcl. ic. anim. c. 8.

Etiam, (1) scilicet subitanam, alias placabiles (x) & sociabiles (λ). Injurius iterum Bodinus, septentrionales, quia placabiles, minus ingenio valere proclamat, immemor excandescentiam & placabilitatem generosi esse animi, nam

*Quo quis est major, magis est placabilis ira,
Et faciles motus, mens generosa capit (μ);
& Candida pax homines, trux decet ira feras (ν):*
ulterius: nihil magno viro dignius placabilitate,
nec humane naturæ magis inimicū crudelitate (ξ).
quo pacto ingeniosi Bodino idem sunt, quod crudeles, feri, & tandem bruta.

§. 5. Requiritur ad fortitudinem non modo alacritas aggrediendi, sed & tolerantis perferendi dura. hæc quoque nostra est (ο). nec mirum, cum agrestibus in moribus sit, nunquam toto vitæ curriculo calidam corpori suo affundere; sed ut recens nati, si hyemem esse contigerit, frigidissima aqua nuper e puteo vel flumine hausta lavantur,

H ita

(1) Job. M. L. 7. c. 7. (x) Wex Guld. descr. Sv. L. 4. c. 5. (λ) du Bartas. (μ) Ov. Trist. L. 3. El. 5 (ν) Ov. art. L. 3. (ξ) Cic. off. L. 1. § 30. (ο) Besold. & du Bartas. Bod. M. Hist. Geogr. Hübners auff die friedens schlüsse zu Rinswick c. 11. adde quæ dicta in aboa c. 3. §, 37.

ita pueri, puellæ, viri, fœminæ, senes & vetulæ e calidissimo balneo in amnem vel mare profiliunt, quæ si gelu concreta fuerint, stantes in glacie, subter ea haustam nudis sibi injiciunt (π), vel etiam per foramen glaciei se immergunt, exstantibus saltem collo tenus capite & brachiis, vel interdum nive se volutant & fricant. unde causam habeo opinionis, Virgilium (ϵ), quod per famam de nobis acceperat, id ad extollendam virtutem Rutulorum ipsis gratis affinxisse. Inveniuntur in nostra gente & eruditi, prædicto modo viventes ad senectam usque: hinc duriora genti corpora & firma, hinc animus ad quævis perferenda nunquam defatigatus.

§. 6. Hinc strenua laborum assuetudo, ut præ cæteris, Fenni laboriosi dicantur (ζ): & sane a nullo labore abhorrent. Sed quod in alieno solo laboriosiores quam domi describantur (τ), id intelligendum est de con-

(π) annotavit eadem Generosiss. Gylb: in descr. Sv. L. 4. c. 7. (-) An L. 9. v. 603. seqv.
 (ϵ) Hübners Geogr. auff die fried. schluss. zu Rixw. c. 11. Rod. Bel. du Bartas, Char. Puff. inledn. till Ew. Hist. (τ) Wex. Gylb. descr. Sv. L. 4. c. 6.

continuitate laboris, qui nostris ruricolis sane maximus est æstate, at autumno & hyeme minor: præterea cum agrum suum curaverint, & quæ eo pertinent, fere nihil aliud attingunt, nec industriam negotiationi adhibent, in qua exterorum labor & solertia magis occupatur: ad quos cum pervenerint, eorum more, continuo, sed nequaquam tam molesto exercentur labore. Contra autem Bodinus (⌘), ut huic honori aliquid deroget, *boreales*, inquit, *cum ad calidiora loca deferuntur, sudore diffluunt & languent.* verum hoc ignavis applicetur, non nobis; siquidem hifi hellen/ lammîn laiscan/ packainen pahân uron/ id est: *molles sudore langueant, calore inertes, frigore viri mali:* eoque miror magis, viros eruditos alioquin, interdum sibi tantum filios, ea scripsisse quæ plane ignorant. ignorant *calorem æstatis* versus aquilonē intensissimum esse, imo tantum, quod dicant qui propter commercia & Americanos & Afros & Indos visitaverant, se majori æstui non apud illos quam hic fuisse expositos. corrumpit itaque sententia sudore Fennos diffluere, & calorem, ut vult ille, ferre non pol-

posse, cum opera sua rustica nostrates tanta diligentia, tantoque fervore, æstare tantum non singula conficiant, ut calidissima anni tempestate, nunquam ultra quatuor, nec sæpe ultra tres horas noctu quiescant, continuo alias occupati labore; nec aliter eum absolverent. tam est is vehemens & multiplex, ut otiosus habeatur, qui, quod die fecerit, enumerare queat, vel tantum sibi temporis sumat, quod ea referre possit, secundum proverbium: *Païsa tóitáns lu-ettele/ id est: otiosi isti labores recensere.*

§. 7. Præter frigus, calorem & labores, non minori constantia tamem & sitim ferunt (x), unde temperantia oritur. sciunt enim, moveri cibo & potu, caninum & ferinum esse (ψ), & ventrem multa mala dare hominibus (ω); ideoque, licet natura ipsorum plura longe quam australiorum postulet (α), tamen simplici contenti victu, aquam insuper bibunt & lac, succum præterea e betula vere defluentem lupulo conditum servant: sed & hordeaceo potu cerevisia utuntur, præsertim ditiores & digniores. Quod

ve-

(x) Heins. pan. ad G. Ad. Winsf. metr. ad eundem. Phil. Hon. de statu. R. Sv. (ψ) Xenoph. de instit. Cyri L. 5. (ω) Homer. Od. P. (α) Rudb. Atlant. part. 1.

vero incontinentes cibi & potus boreales omnes quibusdam audiant, Germanique hic perpotandi studio vincē (β): facile refelli potest, perpendendo validiores hic naturas, magis requirere alimenti, non enim robur sustentari potest, quin satis multum cibi forti digeratur concoctione, & in membrorum augmentum, effluentisque materiæ restitutionem transmittatur. pro mensura rursum cibi, potus est assumendus, nec non pro laboris & caloris magnitudine. alias calor ille natus nobis fortis conservari nequiret, nisi afflueret nutrimentum valori suo proportionatum. quanto itaque major nostris ventribus e natura calor respectu æquatori propiorum, tanto majus præ illis nobis debetur alimentum: & temperanter ac virtuose vivere, est naturæ congruenter vivere (γ). observet adhuc cui lubet, ni Germani huc commeantes, etsi sint australiores, æque cum nostratibus cyathos suos exhauriant, & quidem facilius, plusque potando indulgeant, ni hic ex instituto dedilcant.

§. 8. Frugalitati affinis est *castitas*, qua
 Fœmi venereas cupiditates ad virtutis nor-
 mam moderantur (d). idque adeo, ut licet
 natura sint fœcundissimi & ad venerem
 apri (e), tamen rarissimum fit adulterium
 & fornicatio, ruri præsertim, quanquam
 promiscue sæpe juvenes innuptæque puel-
 læ cubent. ad ulteriorem etiam concupi-
 scentia inordinatæ fugam, sæpe in juven-
 tute & adolescentia quoque matrimonia
 contrahunt. hinc & *Zelotypia* non laborant (f),
 quanta australiores; quia ex communi gen-
 tis indole, alios sui similes castos judicant.
 non hic nobis objiciatur, infamium hac
 in re hominum numerum non parvum
 sæpe in urbibus inveniri: in illas enim,
 præsertim si ampliores sunt, malorum con-
 fluit colluvies, ad faciliorem sui facinoris
 occultationem & exercitium, eoque ipsa
 regio magis talibus caret & defecata red-
 ditur. in urbibus præterea exterorum con-
 tagione, prius innocentium inquinantur
 mores (g). addo, urbes tamen, quæ ex no-
 stris hoc vitio maxime peccant, puriores
 esse

(d) Chiarron apud Bes. Bod. Meth. Hist. c. 5.

(e) Bod. II. all. Rudb. cit. l. (f) Wex. Synod. descr.

Sv. L. 4. c. 4. Phil. Hun. de St. reg. Sv.

esse exterarum purissimis. virtutem hanc eo magis gens nostra colit, quod ingenia damna sibi ex vitio contrario affluere persuasum habeat; nam præter varios morbos & infamiam, *Suorat hulluxi tekewât/ salawaimot waiwaiseri/ meretrices dementem faciunt, concubinae egenam.*

§. 9. Ad liberalitatem accedam, qua Fenni facillime cunctas vincunt nationes. quod, præter quæ abunde ut spes est prius monstravi (n), etiam ratio temperamenti probat, & sanguinis ac spirituum copia, ut volunt eruditi (θ), tunc avaritia adeo vere Fennis peregrina est, ut potius a veræ virtutis ignorantia prodigi habeantur (ι). indeque ridiculum est, posse de borealibus in genere dici (κ), quod *nummorum cupiditate teneantur*, cum id Fenni, prætereo alios, minime faciant. At videtur hæc laus jam a Fennis avolasse, quia exaruisse hunc liberalitatis fontem constat. sed quare, quæris? quia immixtis aliarum nationum hominibus, amplius non sunt vere Fenni quorum tamen adhuc votum est: omnia

311

(n) *Abos c. 3. §. 37. adde Phil. Hon. de st. reg. Sv. (θ) Rod. M. H. c. 5. des Cartes de hom. §. 26. (ι) du Bartas a Bes. citatus (κ) Besold. de nat. pop. 4.*

*Mal' andamista / cahden fäden canda-
mista! id est: Da DEUS quod demus, quod
ambabus offeramus manibus. &, wedã JESUS
wieraita / wedã wierain waraa! Adduc
JESU hospites, adduc penuriam hospitalem.* Audivi
nonnullos vicinarum nationum nationem
nostram indigno culpae modo, quod (ta-
ne nominare erubescio, & tunc cum risu
& indignatione accepi) furum hic sit mul-
tudo, verum sinceri sciunt iudices, in-
justissime gentem hanc ejus criminis accu-
sari (A), cujus culpa non est, si unus & alter
terræ sentina contagione exterorum mali-
tiam didicerit. contrarium argumentum
esto: si qui sunt in regione fures, id tem-
pore famis evidentissimum erit, quo, au-
cto ex necessitate more malo, magis suo
flagitio invigilare exstimulantur penuria;
est A. 1697 & sequenti, cum ingenti omnis
rei inopia divinitus premeremur, his meis
observavi oculis, alii idem testabuntur, in
mediterraneis domus honestas & locuple-
tes, cum tota familia ad sacra in templis
peragenda proficisceretur, apertas relictas,
multa supellectile eximii pretii non recon-
dita, unicum puerum vel puellam habuisse
cu-

custodem, idque non tam metu furum, quam ignis cavendi causa. qui frequens toti provinciæ mos est, præter quam quod in urbibus, & prope eas aliquando, major cura habeatur, ob frequentiam hominum majorem, & consuetam maleficorum in illas confluum.

§. 10. Apparet ex dictis populi nostri *justitia*, etiam in priori mea opella (v) memorata; & *fides* in Regem, vicinos, & populares (ξ). In Regem & patriam fides ex eo cognoscas, quod rarissime Fennum in bello transfugam audies, & præter maleficos quosdam ad limites Moscoviæ; nullum; quorum etiam quidam ob scelera profugi, tempore belli redeunt, maluntque supplicia domi sustinere, quam contra patriam bellare. exemplum nuperrime sub judicio Regii Dicasterii nostri erat. In vicinos fidem declarant pro tempore Bothnienses erga Ruthenos patriæ hostes sibi conterminos, quos cum sane divina opelonge & viribus & virtute superare possent, impetrata tamen summi magistratus venia,

I

pa.

(v) *Aboæ c. 3. §. 37. citatis ibi auctoribus adde Ptol. Bodini fide. (ξ) cum adductis in Aboæ locis confer. Bod. M. H. c. 5. §. Bes. 4. An Bartas.*

pace frui permittunt, & commercia cum
iisdem colunt. Fidem in populares, amor
patriæ modo confirmatus palam facit,
nec non frequentes pro homicidis & in-
genti debito constriëtis fidejussiones, quo-
rum hi sæpe peregre proficiscentes, in
gratiam amicorum fidejussorum redeunt,
judicioque se sistunt. *Veracitas* individuus
fidei comes est: nec procul recedit *Taciturnitas*;
quia e contra

Rara fides ideo, quia multi multa loquuntur (o):
Et multus sermo raro sine vitio. credunt
ergo nostri cum Persis: non magnam ab
eo rem sustineri, cui tacere grave sit (π):

Quis minor est autem quam tacuisse labor (p)?

§. II. Viso, quod aliena sibi Fenni non ap-
propriant in rebus, idem de existimatione
censendum; sunt enim *modesti* (ς), idque sæ-
pe in excessu, cum *sui ipsius contemptus* (τ), &
ipsis & Svecis vitio vertatur. quo minus
fidei iis (ϕ) adhibendum, qui boreales ru-
stice arrogantes describunt: id enim Fen-
nis non recte attribui certum est, ni hoc ap-
plicatre orte velis ad minorem gestuum &
ver-

(o) *Caton. distich. Mor.* (π) *Curt. L. 4. C. 5.*
(p) *Obid. amor. L. 2. El. 2.* (ς) *Phil. Hon. de st. reg. Sv.*
(τ) *Wex. Syld. descr. Sv. L. 4. c. 5.* (ϕ) *Bod. M. H. c. 5.*

verborum delicatiorum culturam, ad homines commode fallendos natorum, scilicet quæ operum imperfectorum complementa sunt, a *SPIRITU DEI* damnata (χ). ea nostrates, ni aulas visitando, & exterorum aliorumque adulantium convictu discant, non agnoscunt, sed prisca delectantur simplicitate, prisca fide (ψ). si irritati fuerint & contemni se videant, tanquam inviti honorem suum vindicant, suasque explicantes. innocentium morum studium, tantum abest ut negligant, ut potius ad *elegantiam usq;* eos addiscant (ω), præsertim quibus occasio est cum aulicis conversari, & peregrinorum observare vitam. sunt itaq; *humani* (ω): sed minus forsan ad urbanitatē proclives, cum & hæc nonnullis (α) in virtutum censu non veniat, & reconditæ mentes ad facetias descendere nisi cum amicissimis & intimis vereantur, memores humanæ imbecillitatis, & quod *mies, wieras wian nãte talon toisen tyttã-resã / hospes culpam observat in alterius villa filia.*

§. 12 Jam ordo dicere jubet de *pietate* Fenorum, si modo aliqua pietas hujus ætatis hominibus est adscribenda. est ea nobis, ut

in-

(χ) *Ephes. s. v. 4.* (ψ) *Phil. Hon. nom. loc.* (ω) *Wex. Gyl. descr. Sv. L. 4. C. 6.* (α) *Hor. L. 1. Ep. 15. Plin. L. 8. Ep. 5.*

inter non perfectos homines, sed eos in quibus preclare agitur, si insint simulacra virtutis (β), esse potest, (Gloria Altissimo) laudabilis. probamus nobis, ut aliis sentum Numinis esse, quia eum homines cuncti fovent (γ), omnesque DEO indigent (δ). notum porro est, nos veram Christianam & Evangelicam religionem sincere colere: in ea tantam pietati operam dare, quantæ fragilitatis humanæ ratio capax est, divinitus adjuta: & in Domino gloriamur eam, etsi ad debitum & coram DEO exiguam, respectu tamen hominum, non alius nationibus inferiorem. causam assertionis pono, memoratarū virtutum numerum, veræ felicitatis indicem (ε); præcipue fortitudinem in DEO fundatam (ζ), & opum neglectum; cum boni illi sint, apud quos plus pietatis jura, quam omnes opes valent (η).

§. 13. Haud ignoro, quam multa hic mihi ab adversariis objiciantur tela, ad eliminandas virtutes, a me Fennis adscriptas, parata. horum non minimum est: nos, si quibus præ-

di-

(β) Cic. off. L. 1. (γ) Rom. 1. v. 19, 20. c. 2. v. 14, 15. Cic. Tusc. Quæst. L. 1 (δ) Hom. Od. Γ. (ε) Tor. od. 9. L. 4. & Ep. 1. L. 1. (ζ) Xen. inst. Cyri L. 3. (η) Just. L. 3. C. 2. §. 6.

diti sumus bonis moribus, ad eos natura adigi, magis quā electione comparatos habere, adeoque virtutis laude frustrari, cum ea ardua sit (⊙), & voluntatis opus, non naturalis necessitatis effectus (⋄). sed si hic opponatur clypeus: quod omne signum cogitationum cordis humani, tantum malum sit omni die (⋈); & malitiam etiam cumulativam capere facile sit, longa vero & ardua via ad virtutem (λ); patebit, neminem, natura sibi relicta, ferri ad virtutem, sed recta ratione, debere rectam eligi semitam: quæ si nobis inventa, hac duce inventa sit oportet. neque hinc, & quod plura sint semper deteriora bonis (μ), contrarium urgentibus fas erit concludere, nostras frustra describi virtutes, cum & nos, ut ipsi & omnes, fateri necesse habeamus, plures ubique bonis malos reperiri. scimus enim, quod vitis nemo sine nascitur (ν), scimus quoque illum esse optimum qui minimis urgetur (ξ). nec tam superstitiosi nostri amatores sumus, quod patriam nostram publico fato velimus eripere, & indignari nos ubi peccatur, id est

(⊙) Ov. art. L. 2. (⋄) Rod. Meth. Hist. e. 5. (⋈) Gen. 6. 5 (λ) Hesiod. op. & dies p. m. 23. (μ) Ov. art. L. 3. (ν) Horat. Serm. L. 1. c. 3. (ξ) ibid.

inter homines natos; sed & nostra vitia fideliter agnoscimus (o), nec miramur nos, cum hominifimus, peccare (π), & peccare dici: ita tamen deteriores aliis censeamur, verum potius, ut probatum est, in quibusdam superiores: vitiorum multitudinem non totam virtutum aciem obruere, sed & his splendidum relinquere locum.

§. 14. Huic positioni robur accessurus iudico, si ostendatur ad dignitates virtute se Fennos ascendisse, non in sua gente tantum, & eo solum tempore, quo ipsi rerum sunt petiti, sed postquam Svecorum Regi subiectum eum his constituunt imperium, ve ante unionem, ab ipsis honore aliquo ma-
stros, non solum illustri loco natos, sed etiam inferioris sortis hominum, ut mercatorum, opificum, imo rusticorum filios: quorum exempla hodiernum quærentibus obvia sunt. ut a summo ordiamur: tanti fiebat Fennorum Rex *Rostiof*, a Svecis, quod post mortem divino ab eis honore sit cultus (ρ). *Rex Sveciæ Gylpho* Fennus erat origine, quippe Ferniotti Fenningiæ Regis nepos (ς). *Carolus Canuti*, Rex laudabilis, Fennus

nus

(o) *Barcl. ic. an. c. 2.* (π) *Xen. inst. Cyri L. 5.*

(ρ) *Joh. Mag. L. 1. C. 10.* (ς) *Luc. Hist. Sv. L. 1. p. 2.*

nus erat (τ). Maximos bellorum duces & Regios consiliarios multos habuit e Fennis Suecia: varios magni nominis, de Profapia Horn triplici, de Rancas/ de Liesniemi/ & de Aminne, Tott/ Fleming/ Korck/ Kurck/ Gyllenstierna/ Stålhanst/ Galle/ Creutz/ Bone/ ante hac tatis functos, sed quorundā posteri avorum virtutem æmulantur. sunt & in vivis, præter demortuum nuper ingenti patriæ damno Comitem & R. M. Consiliarium illustrissimum DN. Bened. Oxenstierna/ tanti Heroës nostrates: sed *vivorum ut magna admiratio, ita censura difficilis (υ), maxime ob suspicionem adulationis, quæ semper fortunæ est comes (φ),* at in excelso posita virtus, facile omnium oculos perstringit, nec dubium de se toveri patitur. quamobrem ne causa cadam, nominandi sunt, subjectissimæ mentis cum devotione maxima, Comites & Regiæ Maj. Consilarii Illustrissimi, obscuram malevolis nationem nostram, suo nomine illustrantes: *Fabian Brede/ Nicolaus Gyllenstolpe/ & forte plures, quos brevitatis temporis cognoscere vetuit: prætereo alios. Episcopi inter Aboënses Fenni fuere: Magnus,*

or-

(τ) Joh. Mag. L. 22. C. 14. (υ) Fell. Pat. L. 8. s. 36 (φ) Idem L. 2. C. 102.

ordine 9. 15, *Johannes Aboënsis*. 17, *Magnus Tawast*.
 18, *Olaus*. 19, *M. Conradus Bitz*. 21, *M. Laurentius*
Aboënsis. 23, *Arwid Kotē*. 24, *Martinus Skytte*
 primus Evangelicus. 25, *M. Michaël Agricola*,
 Divi Lutheri discipulus. 27, *M. Paulus Justen*
 etiam Lutheri discipulus. 28, *M. Ericus Erici* (x).
 taceo cæteros, aliis Diocæsesibus qui præ-
 fuere. Reverendissimus ac eminentissimus
 Dn. Doct. *Johannes Gezelius* Episcopus no-
 ster modernus Laudatissimus, Fennus qui-
 dem origine non est, ipse tamen etiam hu-
 jus gentis commodo & laudi non deest,
 sed quanti aliam aliquam, nostram quoque
 merito æstimat. Demonstrant solertiam &
 virtutes Fennorum adhuc, docentes in Re-
 gia nostra Academia Aboënsi Præclarissi-
 mi, quilibet suæ disciplinæ Professores Ce-
 leberrimi: ut sunt, Theologi Summe Reve-
 rendi Doct. *Joh. Flachsenius*, Doct. *David Lund*.
 & *M. Simon Tälpo*. Juridicus, Consultissimus
 Dn. *Matthias Swederus*: Medicus, Experien-
 tissimus Doct. *Nicolaus Vallerius*. Philosophi
 Amplissimi & præcellentes; *M. Petrus Hahn*,
Phys. *M. Torstanus Rudeen*, Poës. *M. Christiern*
Alander, Elogv. *M. Johannes Munster* Phil. Pract.
 & Hist. *M. Isaac Piblmán* L. L. or. *M. Laurentius*

Tam-

Tammelin, Math. nunc Rector Acad. Magnific.
M. Gabriel Juslenius, Log. & Metaph. Qui, licet
 non omnes Fenni sint natione, ut quatuor illi
 post Theologos Sveci, nihilominus osten-
 dunt Fenningiam & ratione hominum cla-
 ris viris dignam, cum ii eodem officio
 & dignitate cum nostratibus fungantur,
 & nostræ regionis tædio non affician-
 tur, nec incolarum averfentur mores.
 libenter sane & Sveci & exteri cæteri,
 cognita per experientiam terræ hujus
 commoditate, hic sedes suas figunt; & æ-
 gre, nisi cognationis dulcedine tracti, hinc
 demigrare sustinent.

Quæ ita breviter & simplicissime, a-
 more patriæ ductus, qui omnem dilectionē
 superat, in Fennorum vindicias adver-
 sus inique sentientes congeffi, *Lector* cor-
 date & a partium studio aliene, ut æquo
 animo accipias, officiose rogo. Nostræ
 vero gentis Magnates atque superiores,
 omnesque Patriotas, quod se dignum ex-
 orimere vere nequiverim, ut ignoscant,
 quemlibet pro ratione suæ virtutis, humi-
 liter & reverenter oro; nec id timeant, ne
 ex exigui valoris verbis rem maxi-
 mam

nam extenuent cæteri; nam bonus quilibet facile & hæc & majora scit & credit; malevolus contra, si vel a Cicerone, imo & Divino oraculo hæc edita essent, tamen contemnit, irridet, cavillatur. Siquid rei addit, sincere confiteor non meum me æstimare ingenium capax ut vel re Fennica describat, nec meam industriam ut inter Fenniciæ bona vel infimum nanciscatur locum. Sufficit mihi me Fennicum esse, & cætera me nescientibus in laudata gente numerari. interea populares integerrimi, hoc utcunque leve, vobis placere sinite, ut præstantiora, ea ratione, ingenia in laudes vestras excite-
tis; postremo, quod magnus Patria de rebus Fennicis condit opus, ut feliciter & cito lucem aspiciat, vove-
te mecum alacres, &
dicite:

SOLI DEO GLORIA.

